

Fabri, Felix: Evagatorium in Terrae Sanctae, ..., ed. v. C.D. Hassler, Bd. 2, 1843,  
enthaltend fol. 183A–291B von Bd. 1 des Autographs (19 555-1) und fol. 2a–74a von  
Bd. 2 des Autographs (19 555-2)

zu Bild Nr.  
**0393**

**0391**

**0397**

**0387**

**0402**

asinorum et asiniorum. Secundum est camelorum et camela-  
riorum. Tertium est descriptio solitudinis, sive deserti et  
eius inhabitatorum.

**0382**

Asini itaque sunt secundum eorum conditiones animalia  
magis apta pro transitu eremi, quam equi. Est enim asinus  
animal oneriferum et laboris patiens, vili et modico cibo con-  
tentum. Inter tribulos enim carduos et spinas carpit cibum  
suum, et arbusta densa et spinosa penetrant et intrant, qua-  
propter parvae aviulae oderunt asinum et eum inclamant  
sicut noctuam, quia in spinetis nidis, ovis et pullis earum  
nocet, quia carpendo et fricando nidulos dejicit et clamando  
pullos earum terret. Potus ejus (**b**) est aqua, quam libentius  
bibit turbidam, crassam et tepidam, quam recentem, et mo-  
dicum valde bibit. Si de aqua numquam prius biberet, bibere  
renuit, etiam dum multum sit; tribus diebus et noctibus  
continuis durare et laborare potest sine potu. Magni frigoris  
impatiens est, ideo in terris frigidis, ut in Ponto, non gene-  
ratur, et in terris multum calidis multiplicatur. Aquas transire  
et pedes tingere horret, pontes etiam, de quibus potest videre  
aquam, non transit nisi cum trepidatione, et si per rimas  
aquam videt, tremit et subsistit. In luto male vadit, sed in  
sicco etiam asperrimo, equis periculo, optime et secure  
incedit. Tempore pluviali est triste animal et involuntarium.  
Ideo in oriente et in Aegypto sunt asini valde boni, cum non  
sit ibi frigus, nec pluvia, nec lutum. In terris autem nostris  
non possunt esse boni propter contrarias conditiones. Asinus  
dominum suum, sessorem suum, viam suam, hospitium suum,  
vocem domini sui et terminum itineris sui, laborem suum et  
horam sui laboris et horam quietis super omnia animalia  
acutius cognoscit et diligentius tenet. Bestia illa valde hu-  
mana est et conditionibus hominum multum proportionata,  
multo magis quam equus et mulus. Species decipit multos  
in electione asinorum, quia nonnumquam turpiores asini sunt  
meliores et e converso. De hoc vide P. II. Fol. 2.

**0442**

**0342**

**0492**

**0292**

**0892**

**Ende**

**Anfang**

Quales homines sint peregrinorum asinarii?

Asinarius dicitur asini custos. Asinarii nostri per de-  
sertum erant Christiani orientales de cinctura, alias dicti

